



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De poenitentibus subito mortuis. xxiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De illis sacerdotibus, qui morientibus pœnitentiam denegauerint. Cap. XXI.*

*Ex decr. Iulij papa.*

**S**I quis presbyter pœnitentiam abnegauerit morientibus, reus erit animarum, quia dominus dicit: Quacumque die conuersus fuerit peccator, vita uiuet, & non morietur. Vera enim conuersio in ultimo tempore potest esse: quia dominus non solum temporis, sed cordis inspector est: sicut latro unius momenti meruit esse in paradiso in hora, ultima confessione.

*Quod nulli ultima pœnitentia sit deneganda. Cap. XXII.*

*Ex decr. Celest. papa, ca. 15*

**A**gnouimus enim pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desiderii annui, qui obitus sui tempore, animæ suæ cupiunt remedio subueniri. Horremus fateor tantæ impietatis aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quouis tempore concurrere succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem pondere, quo se ille expedire desiderat, liberare. Quid hoc rogaliud est, quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere. Cum Deus ad subueniendum paratissimus, inuitans ad pœnitentiam, sic proclamat peccatori? In quacumque die, conuersus fuerit, peccata eius non reputabuntur ei. Et iterum: Nolo mortem peccatoris, sed tantum ut conuertatur, & uiuat. Salutem ergo homini adimit, quisquis mortis tempore pœnitentiam denegat: & desperarit de clementia Dei, qui eum ad subueniendum morienti sufficere, vel momento posse, non credidit. Perdidisset latro in cruce præmiū ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non iuisset. Cum esset in pœna, pœnituit, & per unius sermonis professionem, habitaculum paradisi Deo promittente promeruit.

*De pœnitentibus, qui in infirmitate Eucharistiam acceperint. Cap. XXIII.*

*Ex cœcil. Carthagi. ca. 78*

**P**œnitentes qui in infirmitate viaticum Eucharistie acceperint, non se credant absolutos sine manus impositione, si superuixerint.

*De pœnitentibus subito mortuis. Cap. XXIII.*

*Ex eodē.*

**E**orum, qui pœnitentia accepta in bono uitæ cursu sine communionem moriuntur, oblationem recipiendam, & eorum funera, ac deinceps memoriam ecclesiastico officio prosequendam.

FINIS Libri Decimioctau.